



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Nec omnium Paenitentium, & praecipuè non in omnibus rebus, eorum  
est aequalis auctoritas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**



aut ea quæ confitentur adhuc statuunt  
repetere; tamen ut absolvantur, debite  
pænitere ac integre confiteri se simulant.  
Propter quod hæc Confessario necessaria  
cautio est, ut dum aliquod hujus se pro-  
dit indicium, penitiùs pænitentis dispo-  
sitionem examinet. Est tamen rariùs hîc  
dolum subesse, ac pænitentes fallaciter se  
tegere, sed sinceriter eos sua aperire  
contingit ut in pluribus.

§. II.

*Nec omnium Pænitentium, & præcipue non in  
omnibus rebus, eorum est æqualis  
auctoritas.*

**V**erùm tametsi suspecta non sit pæ-  
nitentium sinceritas, tamen ut ipsis  
credatur, non omnium, nec in omnibus  
æqualis est eorum auctoritas. Quædam  
magis, quædam minùs cognoscere & di-  
judicare sufficiunt; in nonnullis alicujus  
momenti non est eorum judicium. In  
his ergò quæ cognoscere, & dijudicare  
sufficiunt, ut sunt multa peccata, maxi-  
mè opere completa, ac variæ eorum cir-  
cumstantiæ, dum eos leviter nihil osten-  
dit processisse, rectè ipsis & pro se &  
contra se creditur: in quibus verò minùs



sufficiunt, minùs quoque ipsis in hujusmodi credi debet, sed magis etiam ad alia quæ concurrunt oportet attendere. Dum verò quædam discernere & dijudicare vix aut nullo modo sufficiunt, à prudentia alienum est in istiusmodi multùm eorum iudicio deferre.

## §. III.

*Non in omnibus credendum est Pœnitentibus, dum contra se loquuntur, ac proinde non mirum quod dum pro se loquuntur, non semper illis sit credendum.*

**I**mpertinens est an pro se, an contra se dicant: nam contra se dicunt multi scrupulosi, dum in plurimis se accusant, & cogitationibus blasphemix, iudicii temerarii, vindictæ, luxuriæ, &c. consensum se præbuisse existimant, eò quòd malam suggestionem sensisse, iudicent consensisse; item ad susceptionem Sacramenti nunquàm se satis putant dispositos. In his tamen & similibus non credit ipsis prudens Confessarius, quin potiùs singulis attentis, ac cognito eorum statu ac vivendi modo plerumque contrarium iudicium format, cui ipsorum quoquè potiùs est, quàm proprio credere, quòd ista

an-